Vita Senecae ex B. Hieronymi l. de script. eccl.

Lucius Anneus Seneca Cordubensis Fotini stoici discipulus et patruus Lucani poete conti-
nentissime vite fuit. quem non ponerem in cathalogo sanctorum nisi me epistole ille provocarent que
leguntur a plurimis Pauli ad Senecam aut Senece ad Paulum. in quibus cum esset Neronis magister et illius
temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos cuius sit Paulus apud christianos. hic ante
biennium quam Petrus et Paulus martirio coronarentur a Nerone interfectus est.

ep. 1, 2.3 In hoc enim fallimur quod mortem quam procul esse conicimus. magna pars eius iam preterit. quidquid etatis retro est
mors tenet. Dum differtur vita transcurrit. Omnia Lucili aliena sunt, tempus tantum nostrum est.

ep. 2, 1 Primum argumentum composite mentis existimo posse consistere et secum morari. Nusquam est qui ubique est. in pe-
regrinatione exigentibus hoc evenit ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Id accidit his qui nullius se in-
genio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori acce-
dit qui statim emittitur. Nichil tam utile est ut in transitu prosit. Fastidientis stomachi est multa degus-
tare, que ubi varia sunt et diversa inquinant non alunt. Probatos itaque libros semper lege, et si quando ad
alios diverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii compara.

ep. 2, 5.6 Honesta res est paupertas leta. illa vero non est paupertas si leta non est. Cui enim cum paupertate bene conve-
nit dives est. Non qui parum habet sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in archa, quantum
in horreis iaceat, quantum pascat aut feneret. Quis sit modus divitiarum queritis? primum habere quod necesse
est, secundum quod sat est. Non puto pauperem cui quantulumcumque superest sat est. De amico

ep. 3 Sic amicum vocas quem omnes candidatos bonos viros dicimus, quem obvios si nomen non succurrit dominos
salutamus. Sed si aliquem amicum cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim
vere amicicie. Errat et ille qui amicum in atrio querit, in convivio probat. Sicut illum miserum malum habet occupa-
4 tus et bonis suis obsessus, quos amicos sibi putat, ipse non est. Tu vero omnia cum amico deli-
bera, sed de ipso prius. post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Diu cogita an tibi
in amicitiam aliquis recipiendus sit. cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. tam audacter
cum illo loquere quam tecum. tu quidem ita vive ut nichil tibi committas nisi quod committere etiam amico possis.
Cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. fidelem si putaveris facies. Nam quidam fallere docuerunt dum
timent falli, et illi ius peccandi suspicando fecerunt. Sunt quidam qui que tantum amicis committenda sunt
obviis narrant, et in quaslibet aures quicquid illos urit exonerant. Et sunt quidam qui etiam karissimorum
conscientiam reformidant, et si possent ne sibi quidem credituri interius premunt omne secretum. Neutrum facien-
dum est. utrumque enim vitium est, et omnibus credere et nulli. Sic utrosque reprehendas et eos qui semper inquieti sunt
et eos qui semper quiescunt. Cum rerum natura delibera. illa dicet tibi et diem se fecisse et noctem.

ep. 4, 5 Cotidie meditare ut possis equo animo vitam relinquere quam multi sic amplectuntur et tenent quomodo
qui aqua torrente rapiuntur spinas et aspera. Plerique inter mortis metum et vite tormenta miseri
fluctuantur, et vivere nolunt et mori nesciunt.
ep. 4, 10 Magne divitie sunt lege nature composita pau-
pertas. Lex autem illa nature scis quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire, non algere. Ut famem
sitimque depellas non est necesse maria temptare nec sequi castra. parabile est quod natura desiderat et
appositum. ad manum est quod sat est. Cui cum paupertate bene convenit dives est.

5, 3 Id agamus ut meliorem vitam sequamur quam vulgus, non ut contrariam. alioquin quos emendari

Seneca

12

[library stamp]